



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Ecclesiæ Mechliniensis, Anni M. DCC. XVIII. Circa  
Bullam Unigenitus**

**Archidiocèse <Malines>**

**Bruxellis, [1719]**

Exemplar Brevis Responsorii SS. D. N. Clementis PP. XI. ad Episcopos  
Belgii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40699**

# EXEMPLAR

Brevis Responsorii SS. D. N. CLEMEN-  
TIS PP. XI. ad Episcopos Belgii.

*Venerabilibus Fratribus Thomæ Archie-  
piscopo Mechliniensi, ac Episcopis  
Gandavensi, Namurcensi, Ruræ-  
mundensi, Antverpiensi, & Brugensi,  
nec non Dilecto Filio Petro Govarts  
Vicario Apostolico Sylvæducensi.*

## CLEMENS PAPA XI.

**V**enerabiles Fratres, ac Dilecti Fili salutem, & Apostolicam Benedictionem. Pietatis Vestræ, atquè Filialis in hanc Sanctam Sedem studii insigne accepimus argumentum in literis, quas dic Sancto Clementi Sacrâ anni proximè præteriti ad Nos deditis. Ex iis enim, quām alacri, prompto- què animo Constitutioni Nostræ, *Unigenitus Dei Filius*, debitam obedientiam præstiteritis, ac, ut ab aliis etiam præstetur, omni ope curare decreveritis, abundè cognovimus. Hoc autem illustre, & nomine vestro maximè dignum factum eò gratius Nobis accidit, quò certius allatum ad Nos est, paucos illos, qui sanam doctrinam non sustinent, & à veritate auditum avertunt, hoc potissimum tempore obduratae mentis indicia prodere, apertam- què ab Apostolicâ Sede defectionem revelatâ facie profiteri. Perspectam itaqùe virtutem vestram uberi, & planè meritâ in Domino laude prosequentes, Eum, qui non dat in æternū fluctuationem justo, impense

impensè precamur, ut Vobis cælesti suo præsidio jugiter adesè velit, quatenus Ministerii vestri partes strenuè, constantè, atque fructuosè obire pergatis, undè Sacris Belgii Antistitibus major indies justissimæ gloriæ cumulus accedat, & gaudium, quod Nos ex tam præclarâ zeli vestri testificatione percepimus, compleatur. Hunc porrò in scopum Vobis, Venerabiles Fratres, & Dilectæ Fili, Apostolicam Benedictionem peramantè impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem, sub Annulo Piscatoris die 15. Januarii 1719. Pontificatus Nostri, Anno decimo nono.

JO. CHRISTOPHORUS *Archiepiscopus*  
*Amasenus.*

Loco  Annuli Piscatoris.

